

sunt appellationes. Plinius in respectu ad Comam, duodecim Cometarum species constituit l. 2. c. 25. N. H. ita ut alius sit κομήτης, Cometa specialissimè sic dictus, h. e. stella crinita, cujus nimirum capiti Coma specialiter sic dicta, h. e. crines & cincini non adeò longè effusi adhærent. Alius πωγωνίας stella barbata, cujus inferiore ex parte in speciem barbæ longæ promittitur juba: Ακοντίας à formâ jaculi: Ειφίας à formâ gladii: Δισκέυς, vel potius δισκοειδής ferè sine radiis nisi raris è margine: Πιθίτης, dolio similis, in concavo fumidæ lucis &c. vid. Longomontanus c. 1. de nov. Φαινοῦ. & Plinius d. l. Sed quicquid horum sit, rectè Seneca l. 7. c. 11. de Com. mihi dixisse videtur, cùm inquit: *sive sint aliqua differentia illorum, sive non sint, eadem fiant ratione necesse est Cometa.* Proinde missis hisce differentiis, ferè infinitis, Cometarum formam in motu potissimùm quærimus, & proinde quicquid in sublimi novum, lucidum, motu planetico, quem supra descripsimus, ad tempus progredi deprehendimus, id omne Cometam esse dicimus, sive caudam habeat, sive destitutum eâ capite saltem nudo nobis appareat.

CAPUT II.

DIGRESSIO AD COMETAM Præsentem.

QUOD cùm ita sit, nō est quod dubitemus, novum illud ostentum, quò Cardinem veteris anni DEUS ter Opt. Max. velut illustri sapientiæ & omnipotentia suæ sigillo obsignare voluit, in censu Cometarum esse habendum. Utut enim partim quâ lucis copiam, partim quâ caudæ quantitatem & figuram multum differat à Cometâ superioris anni 1618. tamen, quod ad integritatem & perfectionem naturæ Cometicæ spectat, nihil in eo desideratur. Habuit hoc Φαινόμενον caput initiò satis grande, rotundum, licet non ita perfectè, lucidum, colore quidem plumbeo, sub obscuro, stellam dixisses primæ magnitudinis nubeculæ rariori involutam, radiis ita dilatatis, sed debilioribus, splendens, aut nubeculam ei quæ in cancro est similem fortiùs illustratam. Aderat etiam cauda, sed obscurior, primo quidem apparitionis die